

diendae canonicae per promissionem obediendi praelato suo factam. Demum licet liber maneat quoad bona sua patrimonialia, nec circa illa aliis legibus subiaceat ac quilibet fidelis, tamen quoad fructus beneficii post honestam sustentationem inde sumpta, meminerit sacerdos, superflua pauperibus et aliis piis operibus impendi debere. Luxum igitur et ostentationem vitare debet: sit victus moderatus, vestitus honestus semper ac decens; in quantum fieri potest ob leges et circumstantias loci et temporis, iuxta canones debet incedere cum tonsura et veste talari, quod, attenta prohibitione legis civilis, domi saltem et in templo ut semper fiat praecipimus, ut clerici intelligant, Ecclesiam vestes saeculares tolerare non libenter, sed ob iniustam legem civilem vestes talaris interdicentem.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Fundamentum et origo domesticae societatis seu familiae, proinde et societatis civilis, est matrimonium quod in illa originalis Iustitiae beatissima conditione protoparentum ab ipso Deo in mundi prima constitutione institutum fuit ad conservationem et propagationem humani generis: in mundi vero instauratione a Christo facta, elevatum est ad dignitatem Sacramenti; ita ut matrimonium, quod inter fideles legitime contrahitur, ex institutione Christi iam sit vere et proprie dictum Sacramentum, gratiam conferens, illis qui debite dispositi illud suscipiunt. Ut autem fructus qui sperantur, abunde quoque obtineantur, statuuntur sequentia:

I. — Doceant parochi fideles, ut bene intelligant, ipsum contractum nuptialem quo sponsus sponsam et haec sponsum accipit, coram parochio et testibus a Conc. Trid. praescriptis celebratum, constituere vere ac proprie dictum matrimonii Sacramentum. Aliam quamcumque christianorum unionem in facie Ecclesiae esse prorsus illicitam ac irritam; aut aliis verbis, inter fideles matrimonium existere non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum. Leges autem civiles nullam quoad christianorum matrimonium auctoritatem habent, nisi ad effectus mere civiles coniugalis societatis determinandos, contractum vero ipsum et sacramentum nullo modo attingere possunt.

Non solum licet, sed propter effectus legales in civilibus, et ad vitanda mala graviora, oportet ut inito matrimonio coram parochio, immediate se sistant coram auctoritate civili, ut in registro publico inscribatur matrimonium.

II — Iam vero cum matrimonium sit Sacramentum, adeoque res sancta, et ad vitam sanctam ducat coniuges, vitanda ea omnia quae fructum et gratiam Sacramenti impediunt; hinc fugienda nimia libertas et familiaritas inter sponso. Et cum sit Sacramentum vivorum, parochus exhortetur sponso ut praevie saltem ad confessionem accedant. Quod si numquam confessi fuerint et hoc propter defectum instructionis, ante nuptias saltem quoad necessaria in doctrina christiana instruantur. Et in particulari ipsos etiam edoceat obligationes status quem sunt amplexuri.

III. — Moneat autem Parochus saepius parentes, quam graviter peccare possunt, negligentia vigilantiae super filio aut filia nubili, nimiam libertatem eis permittendo; deinde etiam, ubi non adest ratio sufficiens,

opponendo se matrimonio honesto et christiano filiorum. Et contra sciant numquam debere aut posse consentire in matrimonium, si gener aut nurus futuri vitiosi sint, ebriosi, aut obligationibus vitae christianae minime satisfaciant: prorsus autem prohibitas esse nuptias cum acatholicis et infidelibus.

IV. — De fide est penes Ecclesiam solam ius esse statuendi impedimenta Sacramenti Matrimonii, sive impedientia sive dirimentia; et facultatem super hisce dispensandi, nulla auctoritas praeter Ecclesiam ad hoc ius habet. Item sola Ecclesia sive pro foro interno, sive pro externo potest declarare nullum fuisse matrimonium ab initio; potest etiam decernere separationem quoad thorum et cohabitationem; sed numquam vivente adhuc coniuge alteri ad novas transire nuptias permittit.

V. — Ut autem opportune cognoscatur, utrum existat aliquod impedimentum, debet parochus tribus diebus Dominicis aut festivis proclamare nomina, etc. eorum qui nuptias contrahere intendunt, et simul admonere fideles, inter missarum solemnias, ut si quis noverit impedimentum, illud quantocius parochi denuntiet, sciatque unusquisque sub gravi se obligatum esse ad id denuntiandum, nec ulla ratione vel amicitiae vel alia quacumque ab hoc onere eximi.

VI. — Quod si quis, spretis impedimentis, aut quacumque de causa praetendat nuptias contrahere coram alio parochi aut sacerdote, et quod peius est coram ministro haeretico, sciat illas nullas esse et invalidas, et ipsum in facie Ecclesiae esse concubinarium, ac tum ipsum tum ministrum subiectum remanere poenis a iure praescriptis.

VII. — In eos qui, spretis denunciationibus, secreto

et quasi repentina aggressionem matrimonium attentant vel contrahunt severe animadvertant Episcopi, parochus vero aut sacerdos cui simile contigerit Ordinario statim denuntiet, qui praescriptas iure poenas tam in attentantes, quam in testes atque in inducentes pronuntiet (Conc. Vallisol. 1887).

VIII. — Synodus Tridentina permittit Episcopo ut dispenset super proclamationibus, ita ut vel nulla vel una tantum fiat, si tamen gravis et sufficiens causa adsit, v. gr. cum tempus omnino urgeat et gravia incommoda orirentur, si diutius retardaretur matrimonium. Parochus aut alius quilibet minime hac facultate dispensandi gaudet, sed ab Episcopo eam petere debet, nisi in articulo mortis in favorem moribundi ubi responsio Episcopi exspectari non potest.

IX. — Sciant parochi, vagos, id est, qui nullum vel incertum domicilium habent, contrahere debere coram parochi loci in quo degunt cum contrahunt. Verum (Conc. Trid. Sess. xxiv, c. 7, de Reform. Matrim.) sub poena suspensionis prohibet, ne vagi ad contrahendum admittantur, nisi prorsus constet de statu eorum libero. Id vero non fiat, nisi de licentia Episcopi.

X. — Similiter parochus non debet assistere matrimonio cuiuslibet advenae, licet iam domicilium fixum habentis, nisi obtento testimonio valido super eius baptismo catholico et statu libero; et cum Episcopi approbatione.

XI. — Ecclesia abhorret a matrimoniis mixtis catholicos inter et haeticos: ideo quantum possunt, debent parochi dissuadere suos, ne cadant in periculum talem unionem contrahendi, quae ut plurimum indifferentiam et negligentiam vitae religiosae producit, et

valde nocet educationi christianae prolis. Et parentes sub gravi tenentur, omni modo filiis suis impedire nimiam familiaritatem et conversationem cum acatholicis (et idem dicendum de infidelibus, et de iis qui nomine protestantis vel etiam catholici, revera nullam habent religionem) unde occasio nasci potest talis coniugii, licet erga illos semper debeant observari leges charitatis et humanitatis christianae.

Si tamen circumstantiae rerum et personarum tales sunt ut licentia videatur procuranda a Sede Apostolica vel ab Episcopo facultatem habente, ipse Episcopus prius curare debet conversionem partis acatholicae, sin minus omnino tenetur exigere debitas et iuratas cautiones in scriptis ab utroque sponso dandas de universa scilicet prole utriusque sexus tam nascitura, tam forsitan nata in religione acatholica, educanda; insuper pars acatholica similiter sub iuramento et in scriptis promittere se parti catholicae plenam libertatem relicturam ad observantiam suarum obligationum religionum in omnibus. Item pars catholica promittat se quantum potuerit facturam tum conversatione et exemplo, tum oratione, ut ad veram fidem consortem perducatur. Hisce promissis debite obtentis, poterit assistentia sua parochus matrimonium validare, nullis tamen vestibus sacris indutus aut caeremoniis religiosis adhibitis, neque in ecclesia aut sacristia, sed in alio loco decenti.

XII. — Propter reverentiam debitam Sacramento, fidelium matrimonium non celebretur nisi in parochiali ecclesia, non in oratoriis privatis, multo minus in privata domo; mane semper, non vespere, nisi ex legitima et gravi causa aliter quoad utrumque Episcopus concesserit.

XIII. — Curent parochi ut immediate post matrimonii celebrationem elargiantur benedictiones nuptiarum, prout praescribitur in Rituali Romano et in Missali, iuxta rubricas.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTALIBUS.

Praeter Sacramenta, circa quae, quoad materiam et formam essentialem, i. e. ex Christi institutione acceptam, nihil admodum immutari permisit Ecclesia; quare a primis temporibus ipsa in usu habuit, aut etiam deinceps introduxit orationes, benedictiones et caeremonias varias; quae dum praecipue adhibentur in ipsa Sacramentorum administratione, sub nomine generico Sacramentalium comprehenduntur; et praecipue inserviunt ad explicandos ipsorum Sacramentorum effectus et gratias spirituales. Sed dein plures harum orationum, benedictionum, etc., ubique per Ecclesiam invaluerunt ad excitandam fidelium devotionem, et magis fervidas eorum orationes faciendas in variis necessitatibus, cum maiori confidentia et spe exitus. Quoad haec generatim notandum, in hoc Sacramenta et Sacramentalia essentialiter distingui, quod dum Sacramenta, iuxta modum loquendi in scholis, dant gratiam ex opere operato, et dummodo non ponatur obex suum proprium effectum producunt, Sacramentalia non nisi opere operantis, i. e. propter virtutem aut merita aut orationem illius qui ea applicat, aut qui iis utitur, prosunt, id est gratiam producunt. Non enim habent institutionem Christi neque promissionem. Et haec parochi fidelibus explicare identidem ne omittant. Insuper:

I. — Doceant fideles res ab Ecclesia benedictas debere magni aestimari, et cum reverentia adhiberi, sed tantum eo modo et fine, quo vult Ecclesia. Caveant rebus sanctificatis abuti ad superstitiosa, ridicula et vana.

II. — Ne cadat in Christianos maledictio Christi: « populus hic labiis me honorat, sed cor eorum longe est a me. » Curent igitur sancta sancte tractare et non externa tantum signa reverentiae ostendere, sed interna simul contritione et detestatione omnis peccati, se dignos reddere gratia. Et cum tali mentis et cordis dispositione assumant aquam benedictam, edant panem, aut alios cibos sanctificatos, recitent *Pater* et *Ave* aliasque orationes, dent eleemosynas, accipiant benedictionem Episcopi et a peccatis levioribus et quotidianis eos facilius absolvat divina misericordia, et a maioribus praeservabit, et gratiam illis addet et merita.

III. — Utile est homini christiano secum deferre in spiritu fidei objecta benedicta, cuiusmodi sunt: Agnus Dei, rosaria, scapularia, numismata B. Mariae Virginis et aliorum Sanctorum imagine decorata, et praesertim imagines Crucifixi et Cruces. Innumera enim in historia per omnia tempora occurrunt exempla protectionis divinae et gratiae concessae illis, qui cum spiritu fidei et debita reverentia hisce muniri solent. Deus enim Dominus beneficia impartit, quando vult et quomodo vult. Et sicut in antiqua lege usus est virga Moysis, ut e rupe aquam eliceret populo, et serpente aeneo ut sanaret morsus viperarum, sic ipse luto ungit oculos caeci nati, ut visum reddat ei, sed credenti. Et ita credentibus proficiunt benedictiones Ecclesiae et Sacramentalia.

IV. — Sed prae omnibus commendetur genti chri-

stianae, frequens et continuus usus signi crucis, quo quisque se ipsum signat iuxta antiquissimum morem fidelium inde ab Ecclesiae initiis, qui uti Patres referunt, omnes actiones inchoare solebant signo crucis, surgentes, edentes, laborantes, domum ingredienti aut egredientes. E cruce salus, per crucem victoria, crux efficax contra inimicum protectio: crucis enim signum factum in spiritu fidei est confessio Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis et Mortis Christi, et nostrae per Crucem salutis, instrumentum infinitae Dei misericordiae et monumentum.

V. — Ceterae benedictiones sunt vel Pontificis, qui benedictionem Agnus Dei sibi reservavit, aliae plures Episcoporum tantum; aliae quae a sacerdote quolibet fieri possunt: observatis tamen caerimoniis et ceteris in Rituali praescriptis.

SECTIO IV.

DE CULTU DIVINO

Patres huius Concilii Antequerensis, prae oculis habentes Concilium Vallisoletanum, atque serio illud perpendentes, adeo sapienter elucubratum invenimus sicuti in ceteris ita etiam in pertractanda et exponenda doctrina catholica *de cultu divino*, et in praescribendis quae ad illum ampliandum quam maxime conducunt, necnon in iudicandis optimis consecrariis eiusdem; ut illico et libentissimo animo decreverimus, tractatum eius de cultu divino quoad omnes partes